



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Sect. Vlt. Argumenta adversaria solvuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

151 Ita similiter dicimus actum primum in Deo esse prædicatum quoddam, quo Deus dicitur potens velle, seu quo est intellectus, hoc est habens capacitatem ad intelligendum, & idem est de voluntate, & sicut omnes Theologi concedunt ex parte principij primi intellectiōem, saltem vt conditionem ad actum volitionis notionalis vel essentialis, siue includatur in intellectu Deitatis, siue non; ita etiam nos dicimus ex parte actus primi vt principij primi, & potentie esse voluntatem, quæ est radicale principium, & potentia volitionis, seu radix volitionis quæ est actus secundus vitalis supponens primum, à quo est, vel cuius est actus.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria solvuntur.

152 **A**D locum D. Augustini respondeo, S. Doctorem solum identitatem formalem à parte rei intendere illis verbis; & idem dicimus de Dionysio, & Maximo, similes enim omnino loquutiones usurpant, dum de aliis perfectionibus diuinis agunt, quæ tamen secundum aduersarios quidditative metaphysice non constituunt diuinam essentiam; vnde S. Nizenus loquens de veritate Dei, & immensitate ipsius sic ait: [immensus est, verus est, iustus est, non quod aliud, & aliud sit iustitia, immensitas, & essentia; immensus enim, iustus, & verus per essentiam est; quare sua immensitas, veritas, & bonitas sua essentia est.] Et idem docet libro 9. contra Eunomium; neque aliter loquitur S. Maximus adductus à Ioanne Cyparisioto decad. 10. capite 4. dum loquitur de omnipotentia Dei, quæ in sententia aduersariorum attributum, & non essentialiter constitutum metaphysicum; vnde ait, [potentiam Dei non esse aliud, quam eius substantiam, & essentiam.] & in vniuersum, S. Cyrillus apud eundem Cyparisiotum capite 7. inquit, [non est quidquam aliud ipse, & aliud quid & aliud Pater, & aliud Verbum in ipso Deo, idem enim Verbum & diuinitas sunt; simplex enim & sine compositione est diuinitas cum relatione; licet relatio à relatione, persona à persona, mirabiliter discretionem reali scernatur.] Ecce quomodo inter relationem, & essentiam, quæ non est de essentia diuinitatis petit identitatem, eodem modo ac inter perfectiones alias, imo addit statim; [non aliter diuinitas cum sapientia quam cum misericordia, quam cum iustitia, quam cum sapientia vnum est, simplex enim, & sine compositione est.] Vbi solum asserit identitatem, quæ excludat omnem compositionem, non autem quæ indicet constitutionem quidditativam metaphysicam; alias non solum sapientia, sed & relationes & cetera attributa metaphysice essentialiter constituerent diuinam essentiam quod ipsi aduersarii negant; quia quoad hoc eodem modo loquitur S. Doctor de sapientia, ac de illis; vnde S. Augustinus, & S. Leo Papa enumerantes sapientiam cum aliis diuinis perfectionibus, scilicet æternitate, immensitate, veritate, & iustitia, eodem modo loquuntur de identitate istarum ac de identitate sapientie; ergo sicut non propterea concedunt immensitatem, misericordiam, iustitiam, &c. metaphysice constituere diuinam essentiam; ita etiam

non concedunt de sapientia; imo S. Dionysius aliquando asseruit, bonitatem Dei non esse posteriorem essentia Dei, vbi si loquitur de bonitate eo modo, quo supra explicuimus, pro nobis est; si autem loquatur de bonitate, vt est attributum, aperte manifestat S. Doctorem solum loqui de rebus vt sunt à parte rei, ac proinde negat dari prioritatem inter essentiam, & bonitatem; nam si nostro modo concipiendi loquendum sit, non potest dubitari, quin essentia prior sit bonitate sumpta pro attributo.

Ad secundum argumentum ex ratione petum 153 nego maiorem, quia Deus non constituitur metaphysice vltimo per vitam intellectualem, sed potius per asseclatam quæ solum Deo conuenit, cum vita intellectualis etiam creaturis conueniat. Item distinguo Minorem, ex parte obiecti, & à parte rei concedo; modo nostro concipiendi, nego, vt patet ex supradictis, vnde fallitur Herize dicendo, omnes conuenire in hoc, quod Deus constituitur vltimo per gradum intellectualem; nam licet omnes Doctores concedant constitui quidditative, & essentialiter per talem gradum, nihilominus probatiorum Doctores negant vltimo constitui per illum; vt patet ex rationibus à nobis adductis, quia impossibile est, vt aliquid vltimo constituitur per aliquam formalitatem, cum qua conuenit cum aliis, à quibus vltimo distinguitur; nam potius vltimum distinctum debet assignari pro constituto vltimo, quam aliud, quod non est vltimum distinctum, cum autem gradus intellectus non distinguit vltimo, ideo non assignatur à nobis, vt vltimum constitutum essentialiter, etiam si vt constitutum quidditativum superius assignetur.

Ad probationem à priori nego vniuersaliter, 154 rationem vitæ ex suo genere esse perfectissimam omnium, quæ reperiuntur in Deo, quod in secunda ratione pro nostra conclusione adducta aperte demonstrauimus; nam asseclata perfectior est intellectu, & gradu intellectu in diuinis; ergo illa, & non hic debet vltimo constituere Deum.

Præterea maxime fallitur Herize, dum ait eo modo debere nos constituere Deum vltimo, quo videmus constitutas creaturas, alias non esset vltima constitutio diuina; nam constitutio vltima debet esse per aliquod prædicatum, quod soli Deo conueniat, & non creaturis; ergo ad inuestigandam hanc vltimam constitutionem omnino recedendum nobis est à constitutione vltima creaturarum; sicut quando agimus de vltima constitutione hominis, debemus omnino recedere à constitutione reliquorum animalium; vt distinguamus eum ab illis; imo non videtur hæc doctrina Herize constare cum principijs eiusdem, nam ipse docet nullam creaturam constitui vltimo per intellectiōem, & ex alio capite affirmat, Deum constitui vltimo per intellectu, addendo hæc verba, in quibus est oppositio, & contradictio cum dictis principijs: [portio cum nos agimus de constituto per rationem nostram naturæ diuinæ, eo modo constituere eam debemus, quo constitutas videmus, & consideramus naturas omnes creatas imo & creabiles, etenim alius modus constituendi naturam commentitius est, & sine vilo fundamento; atqui omnis creatura constituitur per gradum eius perfectissimum; ergo pariter natura diuina per rationem nostram debet ita constitui, &c.] Ex his contra te sic argumentor, Per

156 Per te cum agimus de constitutio per rationem nostram naturae diuinæ, eo modo constitueret eam debemus, quo constitutas videmus, & consideramus naturas omnes creatas, imo, & creabiles, etenim alius modus constituendi naturam commentitius est, & sine vilo fundamento; atqui in tota latitudine entis creati, aut creabilis nulla creatura est, neque excogitari potest, quæ constituitur per intellectiōem actūalem, sed potius per gradum intellectiūm: ergo constitutio tua exorbitans ab hac regula vniuersalissima per te erit commentitia, & ficta sine fundamento; quare quidquid responderis ad hoc argumentum, respondebo tuo, & sic aut contradiciōem involuit ratiocinatio tua, aut nihil probat contra nos.

157 Deinde concedo libenter consequentiam illam penultimam, videlicet quod Deus constituatur vltimo per gradum omnium perfectissimum, qui reperiuntur in ipso formaliter: deinde nego minorem; nam falsum includit tum dicendo gradum intellectiūm in Deo esse perfectiorem gradu asseclatis, vt probaui ratione secunda supra citata, & similiter fallitur aduersarius, dicendo ex communi sententia Doctotum vera gradum intellectiūm perfectiorem esse omni contento in Deo; potius enim veritas dicat asserendum sine vlla dubitatione, gradum asseclatis perfectiorem esse intellectiūm, ac proinde ipso constitui debere.

158 Deinde non possum non mirari, quod Auctor aliqui sapiens, & Doctus ad probandum tract. 1. disp. 2. c. 3. num. 24. §. His praestitum non dari in Deo actum primum intelligendi, hac verba proferat, quibus totam suam ratiocinationem fundet; [sed ratio nostra Deum vt est in se concipiens, adscribere Deo non potest praedicatum, quod ex ratione essentiali involuit imperfectionem: ergo nec per rationem constitui potest in Deo potentia intelligendi radicalis, aut formalis;] nam illud principium falsissimum est; tum quoad primam partem, tum quoad secundam, in prima enim supponit, nos Deum cognoscere vt est in se, & ideo ait [ratio nostra Deum vt est in se concipiens,] & ideo eruit in conclusione, non debere nos, qui in hac vita sumus, concipere in Deo actum primum, & secundum, falsitas autem huius suppositi manifeste, & euidenter patet, quia cognoscere Deū vt in se est, est cognitio intuitiua Dei, ac proinde est visio beatifica, vt patet ex Ioanne Evangelista 1. Epist. cap. 3. ibi [cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus Deū sicuti est.] Vbi definiens D. Ioan. visionem beatificam, seu intuitiua Dei, asserit esse cognitionem Dei, sicuti est, & vt in se est, ex qua veritate colligit D. Thomas 3. p. q. 3. art. 3. non posse beatum cognoscere in Deo vnam perfectionem non cognita alia, quia cum videat intuitiue Deum, necessario cognoscit ipsum vt in se est, sed in se non habet vnam perfectionem sine alia: ergo beatus non concipit vnam perfectionem sine alia, quia iam conciperet Deum, non vt est in se, sed aliter, ac est verba D. Thomæ sic se habent, [qui cognoscit eum vt est in se, impossibile est quod circumferat aliquid à Deo per intellectum, & aliud remaneat, &c.] Ecce Angelicus Doctor visionem beatificam definit, dicendo esse cognitionem Dei, vt est in se: quod ipse P. Herize probat latissime tract. 4. disp. 50. cap. 1. sed præcipue cap. 2. per totum, vbi ait, visionem intuitiua Dei nihil aliud esse, quam cognitionem ipsius, vt est in se, ex qua definitione concludit idem quod S. Thomas collegat, videlicet non posse vnam perfectionem

concipere beatum, non concepta alia; atqui secundum fidem catholicam non potest dici, in hac vita nos habere visionem beatificam, præcipue quando loquimur de conceptione nostræ naturalis, vt late probat ipse Herize disp. 36. cap. 1. ergo nos non concipimus, neque cognoscimus Deum vt est in se, quia abstractiue, & non intuitiue cognoscimus eum, hoc est per alienas species: ergo falsum est suppositum talis propositionis loquentis de nobis, [ratio nostra Deum vt est in se concipiens.] Quæ vera esset, si loqueretur de beatis, ac proinde falsa est tota illa minor, quæ falsitate suppositi imbuatur, & inficitur necessario secundum illud axioma Dialecticorum, ex falso non nisi falso. Deinde falsitas secundæ partis patet manifeste; quia quando nos concipimus in Deo actum primum, non attribuimus Deo talem imperfectionem actus primi, vt supra late demonsttraui contra ipsum Herize, solum remanet illa imperfectio ex parte nostræ conceptionis, videantur supradicta, & aduertatur, si argumentum alicuius momenti esset, probare etiam nullo modo posse concipi Deum ad modum lucis solis, &c. quod est absurdum: vnde argumentum hoc tantum probat, vt nihil probat.

Vnde fatemur quidem Deum esse purissimum actum, quatenus in eo nulla realis potentia datur, quæ perficienda sit per intellectiōem realiter productam ab ea, distinctam ab eadem, & receptam in ipsa, quod vero nos ratione nostræ fragilitatis, & imperfectionis distinguamus actum primum, & secundum, nihil derogat diuinæ perfectioni, neque dedecet purissimam actualitatem, diuinæque Maiestatis excellentiam, neque est maior ratio, cur non dedecet Deitatem esse actum primum à quo virtualiter fluat volitio diuina vt aduersarij concedunt quam esse actum primum intellectum diuinum respectu intellectiōis diuinæ, & voluntatem respectu volitionis, vt ab eis fluant virtualiter volitio, & intellectio; vnde sicut in primo modo, licet detur imperfectio ex parte nostræ conceptionis, non tamen attribuitur Deo talis imperfectio; ita similiter in secundo, neque vlla ratio disparitatis poterit assignari, cur dedecet Deitatem esse radicale principium intellectiōis, & non dedecet, esse radicale principium bonitatis, immensitatis, relationis, & modo nostro concipiendi; nam huiusmodi attributa sunt extra essentiam Deitatis metaphysice conceptam, & tamen Deitas sine illis realiter esset valde imperfecta, vt probant latissime P. Suarez, Vasquez Ruiz *tom. de volunt. disp. 3. sect. 3. num. 26. & tom. de Trinit. disput. 29. sect. 2. & 4.* & nouissime Alarcon *tract. de Trinit. disp. 2. cap. 13.* Sicut ergo naturam Angeli explicamus per gradum intellectiūm substantialem distinctum ab intellectiōe actuali realiter; ita in Deo nostro modo concipiendi metaphysice, & præcise explicamus essentiam non per intellectiōem incretam, (quia illam concipimus per modum operationis, quæ quatenus talis supponit essentiam actu vltimo complete constitutam, vt videmus in creaturis secundum illud axioma, omne quod operatur, operatur in quantum est actu, id est in quantum supponitur iam complete constitutum, vt sæpiissime explicat Angelicus Doctor lib. contra Gentes, præcipue quarto, sed potius per gradum substantialem intellectiūm non in hoc gradu sistentem, & præcise conceptum, sed potius vltimo formalizatum per asseclatem, vt sæpe docui.

Ad tertium argumentum respondeo. Patres, 159

& Doctores Ecclesie asserere Deum significare naturam diuinam, non secundum predicata quidditativa, sed potius secundum operationem illius, ut expresse docet S. Damascenus *lib. 1. fidei, cap. 12.* ubi loquens de hoc nomine, Deus, sic ait [eo non significari, quid Deus sit, sed operationem eius, nempe cognitionem.] Quid clarius, & euidentius? unde alibi docet ex Dionysio nomen Deus, secundum esse respectu Dei, quia secundario conuenit Deo, eo quod operationem significet; nomen autem primum asserit esse [qui est a se:] ergo ex nomine Dei nihil potest colligere argumentum.

160 Ad confirmationem concedo antecedens, & consequens; ad id autem, quod ponitur §. dicitur vero emanare: dico Verbum diuinum emanare per intellectionem; quia Pater ex vi processionis, ut per productionem communicat illi eundem gradum substantialem intellectivum a se, quem habet in seipso, & ex hac parte formalissime Verbum diuinum procedit, ut filius, & ut simile in natura Patri; unde nostro modo concipiendi non dicitur Verbum diuinum accipere communicatam a Patre intellectionem tanquam naturam diuinam, sed potius tanquam operationem; diuinam autem naturam accipit communicatam, quia formalissime ei communicatur mediante intellectione gradus intellectivus a se substantialis. Exemplo declaratur hoc: quia vnus homo non dicitur filius alterius, quia accipit a Patre operationem, per quam producit, sed potius, quia accipit ab eo naturam substantialem, viuientem, intellectualem, media tali operatione, & productione; quia talis operatio, & productio realiter non est constitutum viuientis intellectualis essentialiter: ergo similiter licet Pater communicet Filio in diuinis, ut vere communicat, non tamen formalissime ideo dicimus communicare ipsi naturam diuinam, sed potius operationem; dicimus autem communicare illam formaliter, quando communicatur ex vi talis intellectionis gradus intellectivus a se substantialis, quia primario constituitur natura diuina per illum; & hæc est genuina mens D. Thomæ 1. p. q. 27. art. 2. unde fallitur Albi docendo, S. Thomam ideo asserere, Verbum diuinum esse Filium genitum a Patre quia intelligere diuinum est formalissime metaphysice, & non solum identice essentia Dei, alias sibi manifeste contradiceret Angelicus Doctor, siquidem 1. p. in præfatione questionis 14. & 100 art. 4. eiusdem questionis, & quest. 1. de potentia, docet intelligere, & velle Dei non esse essentiam Dei, sed operationem ipsius, ut patet ex supradictis: ergo ne hoc absurdum sequatur, dicendum est Albi non penetrasse mentem tanti Doctoris, neque hunc locum cum aliis contulisse, ut ex toto contextu verborum D. Thomæ nucleum verum, & non fictum erueret; hoc enim reprehendit axioma illud Iurisperitorum [incivile enim est, nisi tota lege perspecta iudicem iudicium ferre.]

161 Ad primum argumentum secundæ sententiæ concedo antecedens, & distinguo consequens, intelligitur aggregatum, ut sic loquar volitionis, & intellectionis si sumatur essentia metaphysice & formaliter, nego; si sumatur integraliter, aut physice, concedo, & in hoc sensu non solum volitio & intellectio, sed etiam omnia attributa constituunt Deum, quia quidquid in Deo est, Deus est.

162 Ad secundum argumentum respondeo, dupliciter posse considerari Deum primo metaphysice,

ac præcise quatenus est radix attributorum, &c. & hic est sensus, de quo hic controversatur, & secundum hunc modum concipiendi, & in ratione radicis est essentia, quia alia excogitari non potest, etiam si non concipiatur in illo conceptu attributa omnia, quia est infinita simpliciter, cui debentur per identitatem omnes perfectiones simpliciter simplices ratione asseclatis, & ratione talis perfectionis nullo modo potest alia essentia comparari cum ista, quia omnis alia finita, limitata, & imperfectibilis est, imo ipsa diuina essentia quatenus radix metaphysica, & quatenus nostro modo concipiendi eminenter continet ceteras perfectiones a se virtualiter fluentes, si comparatur cum seipsa, quatenus iam in se habet formaliter omnes perfectiones, quæ ab ipso fluere concipiuntur, & quatenus non solum radicaliter, sed formaliter est sapiens, bona, immensa, &c. non dicitur essentialiter, sed solum integraliter non metaphysice, sed physice minus perfecta, quia hoc secundo modo concepta essentia non addit aliquid prædicatum essentialiter, sed solum proprietates & attributa; quapropter, si primo modo concipiatur, est quædam essentia, quia alia excogitari non potest perfectior; si autem secundo modo non solum essentialiter, & metaphysice, sed etiam physice, & quasi integraliter est perfectior infinite quacunque excogitabili distincta ab ipsa; ad hanc autem constitutionem non solum requiritur intelligere, & velle, sed etiam misericordia, iustitia, relationes, &c. Unde argumentum illud maxime redolet inefficaciam Authoris.

Ad confirmationem concedo antecedens, & 163 consequens primum; distinguo vltimum consequens; non concipimus essentiam Dei integraliter, & physice concedo, non concipimus essentiam Dei metaphysice, concipiendo sapientiam radicalem a se, hoc est gradum intellectivum substantialem increatum, nego consequens; si autem adversarius loquatur de sapientia formalis, assero etiam si aliquis concipiat sapientiam, non solum præcisam a volitione, & reliquis attributis, sed etiam simul cum illis; non concipere essentiam metaphysicam Dei, sed solum operationes, & attributa Dei; quia essentia Dei formalissime neque per intellectionem, & volitionem, neque per reliquas perfectiones attributales constituitur, sed solum per substantiam intellectivam a se; unde quando dicit adversarius, essentiam Dei nihil aliud esse, quam omnem perfectionem simpliciter simplicem, si loquatur de essentia integraliter, aut physice concepta, concedo; si loquatur de essentia metaphysice nego; metaphysice enim concepta essentia solum includit gradum entis, substantiam vitalis, gradum intellectualitatis a se; intellectionem autem aut volitionem nullo modo includit in primo conceptu, tum quia intellectio, & volitio nostro modo concipiendi est operatio, quæ oritur a potentia intellectiva in diuinis, & volitua, ut expresse docet D. Thomas. 1. p. q. 25. art. 1. ad 3. ubi cum dixisset, non salvari rationem potentie in Deo in ordine ad divinas actiones immanentes, sic statim limitat, [nisi forte secundum modum intelligendi, pro ut divina essentia, quæ in se simpliciter præhabet quidquid perfectionis est in rebus creatis potest intelligi & sub ratione actionis, scilicet intellectionis, & volitionis, & sub ratione potentie, sicut etiam intelligitur; & sub ratione suppositi habentis naturam, & sub ratione naturæ.] Eandem

Quaest. II. Vtrum Deus const. form. intell. 263

ibi: [respectu actuum intelligendi non potest saluari ratio potentiae in Deo nisi secundum modum intelligendi, & significandi tantum, prout diuersimode significatur in Deo intellectus, & intelligere, cum tamen ipsum intelligere Dei sit eius essentia, utique à parte rei non habens principium.] Quid euidentius, & clarius, seu distinctius poterat loqui D. Thomas, siquidem asserit à parte rei intelligere diuinum esse idem quod essentiam, ac proinde non esse operationem realiter, neque potentiae rationem habere essentiam respectu intellectus, nihilominus tamen modo nostro concipiendi ait Angelicus Doctor essentiam esse potentiam, & intellectionem esse operationem, ac proinde essentiam, & operationem esse actum primum, & actum secundum eodem modo loquitur 2. contra Gentes, cap. 1. ibi: respectu actionum immanentium intelligendi, & volendi non datur in Deo potentia, nisi secundum modum intelligendi, quod clare etiam docet in 1. distinct. 42. q. 1. art. 1. ad 4. ibi: [Deus non agit operatione media, quae sit aliud ab essentia sua, sed suum esse est suum operari, & suum operari est sua essentia, nihilominus tamen essentia significatur ut principium, & eadem ratione potest significari potentia ut principium operandi, utique respectu intellectionis.]

164 Tum etiam, quia intelligere nostro modo concipiendi praesupponit esse completum essentiale, ut supra demonstrauimus; quia intellectio in diuinis praesupponit primum intelligibile, & primum intelligibile praesupponit primum esse, quia primum esse est essentia, & intelligibilitas passio.

165 Opponit nobis Falisius q. 1. de Dei perfectione, art. 2. dub. 7. D. Augustinus lib. 14. de Trinitate, cap. 8. in 10. ubi gradum intellectum docet esse principalem in homine, & in eo reperiri imaginem Dei, quod probat, quia [quamuis mens humana non sit eius naturae, cuius est Deus, imago tamen naturae eius, qua natura nulla melior est ibi querenda, & inuenienda est in nobis, quo etiam natura nostra nihil habet melius.] Et ipse Augustinus citatus à D. Thoma 1. p. q. 93. art. 2. lib. 83. question. 9. § 1. post principium, ait [res, quae tantummodo sunt, nec tamen viuunt, aut sapiunt, non perfecte, sed exiguae sunt ad similitudinem Dei, quae viuunt, & non sapiunt, paulo amplius participant similitudinem, quae sapiunt ita illi similitudini proxima sunt, ut in creaturis nihil sit propinquius;] Et inde statim colligit, nihil homine esse Deo coniunctum, si igitur secundum Augustinum creatura magis assimilatur Deo in sapiendo, siue intelligendo, quam in viuendo, imo nulla maior similitudo esse potest, quam in intelligendo: ergo essentialis gradus magis proprius, & praecipuus Dei non est esse, aut vita, sed intelligere: ergo hoc est concipiendum, ut gradus maxime proprius, ac proinde ut vltima differentia constitutiva diuinae essentiae.

166 Sed contra, quia ex his verbis D. Augustini manifeste colligitur, neque gradum intellectum, neque intellectionem esse vltimum constitutum diuinae essentiae, quod sic euidenter demonstratur, quia D. Augustinus inquit, creaturam intellectualem maxime assimilari Deo, tum in gradu intellectus, tum in intellectione ipsa euidenti, ut patet ex illis verbis, [quae sapiunt, ita illi similitudini proxima sunt, ut in creaturis nihil sit propinquius;] sapere enim non solum gradum intellectum significat quasi in actu primo, sed po-

tius intellectionem euidentem, & scientificam: ergo intellectio diuina conuenit cum intellectione creaturae, & idem est de gradu intellectus: sed differentia vltima Dei nullo modo potest conuenire cum creaturis: ergo gradus intellectus, & intellectio sub ratione intellectionis non potest esse vltimum constitutum Dei. Minor sic demonstratur; quia vltimum constitutum Dei, quatenus distinguitur à constitutis superioribus & communibus Deo, & creaturis est pura, & adaequata differentia totaliter distinguens Deum à creaturis, ita ut per illam quoad explicitum omnino differat Deus & distinguatur, seu disconueniat respectu creaturarum, sed id per quod aliquid pure, totaliter & adaequate distinguitur ab alio nullo modo potest conuenire illi à quo distinguitur, ut videre est in rationalitate hominis, quae quia differentia vltima est, nullo modo conuenit aliis ab ipso non ine, & constitutum vltimum Seraphini soli illi, & nulli alteri conuenit, quia est vltima, & pura differentia illius, quapropter si conueniret aliis, nullo modo esset vltima differentia, & vltimum constitutum; quapropter viuere non est vltimum constitutum Dei; quia non solum Deo, sed multis aliis à Deo conuenit; ergo vltimum constitutum nulli praeter Deum debet conuenire, quia est pura differentia Dei, quapropter in Deo triplex genus praedicatorum quidditatorum concedimus, scilicet primum ut ens, quod ita est pura conuenientia, ut per illud nullo modo differat Deus, sed potius adaequate conueniat cum omnibus rebus creatis, aliud praedicatum est inter primum, & vltimum, videlicet intercedens, quod neque est pura conuenientia, nec pura differentia, sed mixtum ex conuenientia, & differentia; quia per illud partim conuenit Deus, partim differt, ut viuens, quia per illud conuenit cum omni creatura viuente substantiali, differt tamen per illud à substantiis non viuentibus, pura autem, & vltima constitutiva ratio est tertium genus praedicari, quod immediate, & adaequate opponitur primo praedicato constitutiuo, in hoc quod illud est totum, & totaliter ratio conueniendi, aut pura conuenientia sine vlla ratione differentiae ex parte sua, hoc autem è contra est totum, & adaequate ratio differendi, id est omnimoda, & pura differentia sine vlla ratione conuenientiae quoad expressum; unde quasi indiuisibile concipitur, & irresolubile in duos conceptus, alterum conuenientiae, alterum disconuenientiae; ex quo euidenter colligitur à differentiis vltimis quoad expressum non posse praescindi aliquam rationem communem, & sic à rationalitate, & irrationalitate nihil commune potest abstrahi, ut ex certa & communi metaphysica suppono, alias daretur processus in infinitum.

Sed gradus intellectus & intellectio actualis non est pura disconuenientia, & differentia, neque per illam adaequate, & totaliter differt Deus ab omni creatura, sed potius partim conuenit cum aliquibus, videlicet cum homine, & Angelo, partim per illam differt à non intellectiuis creaturis: ergo sicut, quia non est pura, & adaequata conuenientia cum omnibus creaturis, non est primum constitutum Dei; ita similiter quia non est pura differentia non est vltimum constitutum Dei, ac proinde docet D. Augustinus locis citatis creaturas perfectissimas conuenire cum Deo in ratione intelligendi, & intellectivi: ergo tantum ab-

est, quod verba D. Augustini faveant adversariis, quin potius labefactent evidentem eorum falsitatem; sicut etiam locus D. Thomae citatus ab eodem Folio *num.* 53. pro se nobis maxime patrocinatur, propugnatque nostram veritatem; verba Angelici Doctoris continentur 1. p. q. 26. art. 2. in corpore, ibi: [beatitudo significat bonum perfectum, intellectualis naturae; & id, quod est perfectissimum in qualibet intellectuali natura, scilicet intellectualis operatio, secundum quam capit quodammodo omnia.] Ecce D. Thomas intelligere Dei vocat operationem, in qua consistit, ut ipse ait, beatitudo Dei formalis; sed beatitudo formalis, quae est operatio praesupponit essentiam beati ultimo constitutam per alia praedicata essentialia distincta ab operatione; quia omne quod operatur, est in actu, antequam operetur, ut docet ipse Angelicus Doctor lib. 1. contra Gentes, cap. 4. & lib. 2. cap. 5. & quæst. 1. de veritate, art. 2. & quæst. 1. de potentia, art. 4. ad 3. ergo evidenter sequitur ex D. Thoma. & ex ipsorum adversariorum sententiis intellectionem divinam non esse ultimum constitutum essentiali.



QVÆSTIO VLTIMA.

Utrum Deus constituatur per affectum, seu esse infinitum simpliciter per essentiam.

SECTIO I.

In qua sententia adversaria proponitur.

PRIMA Sententia docet infinitatem per essentiam esse à se, seu independentiam simpliciter, ita P. Hurtado in metaphysica disp. 20. de Deo sect. 2. num. 20. & omnes illi, qui docent, intellectionem actualem esse ultimum constitutum Dei. Probatur primo, quia ultimum constitutum Dei essentiali metaphysicum non debet convenire aliis distinctis ab essentia; sed esse à se, aut infinitum per essentiam non solum convenit essentiali divinæ metaphysice conceptæ, sed etiam omnibus attributis, & relationibus, quia hæc est vera propositio, Paternitas est ens à se, misericordia est infinita per essentiam, iustitia est omnino independentis in omni genere causæ: ergo affectus non est ultimum constitutum divinæ essentiali.

Confirmatur, ac declaratur; nam licet iste conceptus sit proprius solius Dei, & per illum possit à creaturis distingui, non tamen sufficit, quia opus est, ut eum concipiamus quidditative in aliqua differentia quasi completa, quæ sit radix, & origo attributorum; non enim sufficit quivis conceptus proprius ad constituendam naturam, sed ille, qui non attribuitur aliis, neque ab eis oritur ratione nostra, sed à quo ceteri ut patet tum in homine, cuius risibilitas non est quidditativus illius conceptus, quia oritur ex rationalitate; tum in Deo, cuius relationes, & iustitia non sunt quidditativus illius conceptus: Recurrendum ergo ad primam vnam radicem cæterorum; nam conceptus secundarij sunt attributa, quia attribuantur primario; attribui autem

est eos adscribi primario, illum reddendo pro prima radice cæterorum; ut quare Deus se amat quia se cognoscit; ecce amor attribuitur cognitioni, tanquam rationi in propositione causali; cognitio autem non attribuitur amoris tanquam rationi, est enim mala causalis hæc; ideo Deus se cognoscit, quia se amat: ergo cognitio non est attributum amoris; sicut amor cognitionis. Vbi advertit, actualem nostram considerationem nihil interesse conceptus primarij, aut secundarij, nisi in quantum ex parte ipsorum præbetur fundamentum, quo per virtutalem distinctionem intellectus ita est ratio amoris, ac si physice esset illius principium, si realiter distingueretur. Quæritur ergo conceptus ille, à quo oriuntur ceteri absoluti, tanquam à vera causa, si essent realiter distincti; ille enim erit ratio nostra radix cæterorum: igitur ens à se non esse conceptum, cui ceteri attribuantur; patet, quia relatio formaliter, ut relatio est ens à se, & tamen ut relatio formaliter non est ratio, cui attribuitur amor, scientia visionis, providentia, &c. ergo ens à se non est, cui attribuantur ceteri conceptus. Patet consequentia, quia si illi tribuerentur, ubicumque esset attribuerentur; cur enim magis hic, quam alibi; antecedens patet, quia relatio ut relatio tantum servit oppositioni relative, & constituit originem activam, aut passivam; nam filiatio v. g. non est ratio formalis, cui attribuitur iustitia, sicut neque ceteris relationibus: ergo natura Dei in ratione naturæ aliquid addit supra ens à se, cui ceteri conceptus attribuantur.

SECTIO II.

Nostri sententia ponitur, & probatur, primo auctoritate.

Conclusio: Deus vitimo & formalissime constituitur per affectum, quæ infinitas per essentiam simpliciter est. Probatur primo auctoritate D. Augustini, qui volens assignare distinctivum proprium Dei respectu creaturarum, omniumque rerum, quæ non sunt Deus, docet nihil aliud esse, quam imparticipationem ab alio, seu à se, his verbis. lib. de cognitione vera vite, cap. 7. [Porro summus spiritus, sicut à nullo intellectu valet proprie cogitari, ita nulla definitione poterit proprie definiti, vel determinari. Si autem aliquis insipiens, tantum desinat, ut Deum esse diffidat, hunc solum vere esse, & alia omnia ab ipso habere esse hæc ratione colligat omnis substantia, aut per se subsistit, aut per aliud; sed hunc mundum non subsistere qui contendit hic farus in nihilum tendit; mundum autem non per se subsistere constat; dum eum ratio coepisse doceat, partibus enim constat; omne autem quod partibus coniungitur, vel in partes resolvitur, ab aliquo utriusque conjunctionem, vel resolutionem paritur; mundus ergo non per se subsistit, & ideo sequitur, quod creatura sit, creatura autem ad aliquid, scilicet ad creatorem refertur, solus ergo creator per seipsum & in seipso existit; omnis autem creatura per ipsum subsistit, si enim ab alio esse habet, tunc Deo maius est, à quo hoc habet, quod Deo inveniuntur, & cum nihil præter Creatorem, & creaturam existat, si Deus per seipsum non ha-